



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VI. Transgressus Gerardus in partes Callisti, legatione Aquitanica ab eo ornatus est. Refertur Bulla Callisti de ea legatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Britannica, eosque esse quinque archiepiscopatus ab Arnulpho Lexoviensi intellectos. Nam tum Britannia provincia Archiepiscopum suum habebat, Dolensem nimirum antistitem, qui dictus est Archiepiscopus usque ad tempora Innocentij III. invitis licet ac reclamantibus Archiepiscopis Turonensibus.

IV. Veram esse hanc nostram observationem docet vetus scriptor historiae Pontificum & Comitum Engolismensium à viro clarissimo Philippo Labbeo editus; cujus hæc sunt verba: *Gerardus vero Engolismensis Episcopus cum Domino Paschali Papa adhaesisset, qui ad partes Galliarum venerat, cognita honestate & præclara sapientia, ei vices suas prius in Britannia, & deinde Turonensi, Burdegalensi, Bituricensi, Auscitana provinciis commisit. Extant literæ Paschalis II. quæ apertè docent hunc Episcopum Engolismensem ab eo constitutum fuisse Legatum in provinciis Bituricensi, Burdegalensi, Auscitana, Turonensi, & Britannia, editæ illæ quidem ex codice MS. sancti Albini Andegavensis in tomo tertio Spicilegij Domni Lucæ Dacherij viri optimi & de antiquitate ecclesiastica bene meriti; quas tamen, quòd ab authentico non nihil deflexerint, secunda editione donandas esse censuimus. Sic ergo habent in eodem codice sancti Albini.*

Paschalis Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, atque Principibus per Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, atque Britanniam provincias constitutis, & ceteris tam Clericis quam laicis, salutem & apostolicam benedictionem. Apostolica sedis auctoritate providentiâque compellimur, cui auctore Deo presidemus indigenti, non solum vicinis & proximis, sed procul etiam positis fidelibus, quæ ad salutem spectant animæ providere, quod, quantum in nobis est, auxiliante Domino implere satagimus. Proinde vobis, carissimi fratres & filij, Apostolorum Petri & Pauli benedictionem impendimus, & paterna vos affectione cohortamur in Domino quatenus usque in finem firmum propositum justitiæ teneatis, laboris mercedem maximam in eterna gloria percepturi. Ut autem penes vos habeatis apud quem querelæ vestras atque negotia, cum opportunum fuerit, referatis, cujusque consilio & hortatu quæ ad salutem vestram attinent peragatis, vices nostras fratri carissimo Gerardo Engolismensi Episcopo commisimus, in partes eum nostra sollicitudinis adfiscientes. Huic vice nostra, ut nostro Apostolorumque in partibus vestris Vicario, ad Dei honorem & ad salutem animarum vestrarum fideliter obedite; ut vobis per Dei gratiam collaborantibus, quæ extirpanda sunt extirpare, quæ corroboranda sunt corroborare prevaleat. Nec sollicitudinem, fratres carissimi, pigeat, cum

neccitas ecclesiastica utilitatis exegerit, synodales cum eo celebrare conventus; quos nimirum convocandi nos ei vice nostra potestatem indulgimus. Data Laterani xviii. Kal. Maj.

V. Extincto deinde Paschali anno MCXVIII. non constat an Gerardo commissa fuerit legatio Aquitanica à Gelasio successore Paschalis. Imò Callistus II. vices suas per eandem provincias illi delegans, ait se id facere ad exemplum Paschalis, nulla facta mentione Gelasij. Vnde colligi possèt illum hac auctoritate instructum non fuisse à Gelasio. Præterea Cono Episcopus Prænestinus ad Hugonem Episcopum Nivernensem scribens de electione Callisti secundi, dum ait Gerardum Engolismensem Episcopum in partes ejus transisse, his verbis utitur quæ indicare videntur illum abalienatum quodam modo fuisse à Curia Romana tempore Gelasij. Ait enim: *Nam & Engolismensis Episcopus, antequam à nobis discederet, subscripserat, & Domino Papæ humiliter se subdiderat. Ratio autem alia propter quam Gerardus commotus esset adversus Gelasium haud dubiè alia esse non potuit quam quia vices illi suas non commiserat. Legatum tamen apostolicæ sedis fuisse etiam sub pontificatu Gelasij dicere videtur Ordericus Vitalis, qui de ejus morte loquens ita scribit:*

Tunc Girardus Engolismensis Episcopus, vir eruditissimus, migravit, qui magni nominis & potestatis in Romano Senatu tempore Paschalis Papæ, & Gelasij, Calixti, & Honorij fuit. Innocentij secundi tempora omisit, quia Girardus ab illo non sterit, imò adversarij ejus Anacleti partes impensè fovit.

VI. Electo deinde Callisto II. apud Cluniacum anno MCXIX. Gerardus Engolismensis Episcopus in partes transgressus, electioni ejus subscripsit, ut mox dicebamus, & ei se subdidit. Tum ei haud dubiè monstrata est legatio Aquitanica, ad mitigandum viri præpotentis animum. Itaque anno sequenti Pontifex ad Gallos in quinque provinciis Aquitanica legatione comprehendi solitis hæc scripsit de vicibus apostolicæ sedis rursum commissis eidem Gerardo. Extat epistola illa in veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis, unde à nobis primum edita est.

Calixtus Episcopus servus servorum Dei, dilectis fratribus & filiis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Principibus, & ceteris tam Clericis, quam laicis, per Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, Turonensem, & Britanniam provincias constitutis, salutem & apostolicam benedictionem. Et patrum præcedentium institutio exigat, & fraternæ caritatis debitum nos compellit, ut providere salubriter universis

To. 3. Spicilegij
Dacher. pag. 493.

Order. Vital. lib.
23. pag. 908.

ms. 10. 10.
fol. 10. 10.
et. 10. 10.
p. 10.

Ecclesia filiis auxiliante Domino procuremus. Verum quia ubique presentes esse aut per nos ipsos cuncta exercere non possumus, fratres nostros, quos nimirum opportunos credimus, in partem nostre sollicitudinis evocamus. Eapropter venerabili fratri nostro Gerardo Engolismensi Episcopo nostras in partibus vestris vices duximus committendas, quemadmodum & Dominus predecessor noster sanctæ memoriæ Paschalis Papa commisisse cognoscitur. Confidimus enim in Domino quia ipse ministerium hoc ad honorem Dei & salutem vestram sancto cooperante Spiritu fideliter ministrabit. Rogamus itaque universitatem vestram, monemus, atque precipimus, ut ei, tanquam Vicario nostro, humiliter pareatis. Et cum opportunitas ecclesiastica utilitatis exegerit, ad vocationem ejus unanimiter convenire & synodales cum eo conventus solenniter celebrare curetis; quatenus communi deliberatione corrigenda corrigere & confirmanda possit auctore Domino confirmare. Datum Beneventi x vii. Kal. Novembris.

VII. Sed ut ad id revertamur quod superius dicebamus, legationis Aquitanicæ terminos in Britanniam usque porrectos fuisse, Dolensem verò archiepiscopatum fuisse unum ex quinque archiepiscopatibus Legato Aquitanicæ contributis, istius rei probatio colligitur etiam ex literis quas jam descriptimus Paschalis & Callisti, qui Britanniam provinciam enumerant divisam à Turonensi. Ratio enim aliqua esse debuit ob quam Pontifices illi Britanniam seorsim exprimerent à provincia Turonensi. Ea verò alia esse non potest quam quòd ea provincia Metropolitanì Turonensis auctoritatem respueret Dolensquæ Archiepiscopo subijci mallet, etiam post Urbani I. decretum. Quod adeo verum est ut Adriani quoque quarti pontificatu cum agitata controversia esset de Pallio Archiepiscopi Dolensis, idem Adrianus, ut docet Innocentius tertius, Engelbaudo Turonensi Archiepiscopo præcepit uti aut cum Hugone Archiepiscopo Dolensi conveniret cum suffraganeis, aut usque ad festum sancti Michaëlis proximò tunc venturum plenam ei exhibiturus & recepturus justitiam apostolico se conspectui præsentaret. Extant literæ illæ Adriani in veteri codice MS. monasterij sancti Germani de Pratis, nondum editæ, ideòque heic opportunissimo loco inferendæ.

Innoc. III. lib. 1.
epist. 82.

* Log. Archiepiscopi.

Adrianus Papa Turonum * Archidiacono.
Ad apostolatus nostri presentiam Dolensis Ecclesie clerus, multis laboribus attritus & molestiis fatigatus, apud nos suppliciter intercessit ut venerabili fratri nostro H. Archiepiscopo Dolensi dignaremur Pallij sui plenitudinem indulgere. Hoc verò cum ex tenore concordie quam inter te

& ipsum factam fuisse constrebat, tam ex antiqua consuetudine requirebat. Venerunt & adversus eum nuntij tui, qui quandam compositionem, quam per Abbatem de Fontaines factam fuisse de suffraganeis ibi asserbant, confirmari unanimiter postulabant. Porro eandem Ecclesiam cum prefato Archiepiscopo suo in ipsa compositione suffraganeis dicebant renuntiasse, * accedens & a predecessore nostro bonæ memoriæ Lucio Papa, sicut in ejus scripto continetur, ita fuisse de communi consilio fratrum diffinitum. Ad hoc ipsam compositionem nullam fuisse Dolensis penitus Ecclesie respondebat, dicens in super ipsam sententiam Romani Pontificis non tenere, quia ille qui tunc temporis officium gerebat, fraudem & dolum adhibuit, dum nec Dolensis Ecclesia presens in examinatione fuisset, & ad Capuanam archiepiscopatum, quem postea per intrusionem Regis Siculi adeptus est, vehementer aspiraret, unde in ipsa compositione nihil ad commodum Dolensis Ecclesie. Nos verò quia hujus rei plenam non potuimus habere cognitionem, cum altera pars in negatione persisteret & se non habere mandatum penitus hoc exequendi affirmaret, nihil à nobis super eodem negotio est terminatum, prædictam tamen compositionem omnino quassavimus. Sanè juxta postulationem ejusdem Ecclesie memorato fratri nostro Pallio, in sine videlicet pontificalis officij, duximus indulgendam; quem cum apostolicæ sedis benedictione & nostra gratiæ plenitudine remittentes, tanto Ecclesie cui præest sua jura illibata volumus servare & integra quanto ecclesiasticis utilitatibus convenit nos ex injuncto officio attentius providere. Unde hos Dolensis Ecclesie misericorditer * consultationem consulentes, ne ipsa sacrosanctam Romanam Ecclesiam ad * excusationem suæ justitiæ negligentem esse vel desidam conqueratur, fraternitati tuæ per apostolicam scripta mandamus quatenus aut cum eo amicaliter componas & cum eo tibi conveniat, aut ad proximam festivitatem sancti Michaëlis plenam exhibiturus & suscepturus in presentia nostra justitiam apostolico te conspectui representes.

VIII. Itaque Aquitanica legatio, uti dicebamus, constabat ex provinciis Bituricensi, Burdegalensi, Aucitana, Turonensi, & Britannica. Latiùs autem patuit legatio à Gregorio VII. concessa Amato Episcopo Oloronensi apud Benearnos; quippe cui, præter quinque provincias supra memoratas, commissa est etiam provincia Narbonensis integra, hoc est, prima Narbonensis & Hispania Tarraconensis, quæ tunc sub Metropolitanò Narbonensi erat. Sic enim intelligendæ sunt Gregorij literæ à nobis olim editæ, quæ sic habent in veteri codice MS. sancti Albini Andegavensis.

GREGORIUS Episcopus servus servorum